

faciem, mente territus, et velut torrentem magnam irremediabili impetu defluentem cognoscens animum Iudaeorum, qui decrevit cedere, magis quam verbis sterilitur repugnare; non enim adhuc fervor amoris et fidei Christi Iesu eius interna perfuderat. Timebat enim extra synagogam fieri, magis etiam mortem. Sed euge sibi, si propter Christum eum crudeli morte praecisset, quemadmodum innocenter tacens, et loannes perloquens, et praecurrens.

1793 Magna de eo Lucas Evangelista commemorat dicens: *Et ecce vir nominis Ioseph, qui erat de curio, vir bonus et iustus.* Hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathia civitate Iudaeae, qui expectabat et ipse regnum Dei. Officium quidem suum recte mysterio, concordabat. Erat enim super homines decem curam habens in servitio republicae, ut quasi decem praepcepta servans, iustus et bonus esset, et, fide conversus ad Christum, expectaret regnum Dei quod vere credentibus promiserat ipse Christus.

1794 Huic quoque adiunctus est Nicodemus, qui etiam occultus erat discipulus Iesu; nam in principio praedicationis Iesu ad ipsum nocte venerat.

1795 Mirum quidem de ipso occulto discipulatu, quum confessionem coram hominibus Christus exegerit; et ad Rom. x cap. Apostolus ait: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio filii ad salutem;* unde si veri discipuli, quomodo occulti? Si autem occulti, quomodo veri? Sed nempe in his ostendit Christus suam providentiam ad futura et praeterita super his qui adhuc amore Christi non fervent: futurum utique erat ut aliqui saevae persecutionis tempore ad horam se occultarent esse fideles in subsidium plurimorum. Et qui percurreret Martyrum gesta hoc, quod dicimus, non ignorat; nam et charitas vera sufficit ad salutem, etsi non ita fervens sit, atque perfecta, quod penitus omnem timorem excludat. Multos enim legitimus se occultasse ad tempus, aliorum utilitatibus se servantes; sed, opportunitate adveniente, tormenta aspera subiisse pro Christo. Multos quoque legitimus corde pavido fugientes, inventos tamen lactissime pro Christo mortis excepsisse sententiam. Hoc siquidem in his doctus occultis discipulis mystice significari arbitramur.

1796 Convenientibus igitur simul his duobus Christi discipulis ad sepeliendum Iesum, mercatus est Ioseph syndonem ad involvendum Corpus Christi, et libras fere centum myrrhae et aloes ad unguendum detulit Nicodemus.

1797 Secundo vero afflicti fuerunt devoti ipsius Iesu in depositione, scilicet, Corporis eius de cruce.

Venerunt ergo Ioseph et Nicodemus ad locum ubi erat crucifixus Iesus, deferentes instrumenta cum quibus clavis evulsis possent deponere eum; Quos ut Mater vidit volentes deponere illum, quasi de morte resurgens, revixit paululum spiritus eius, et illis, prout poterat, auxilium cum ceteris ministrabat. Erectis diversis scalis, unus de manibus clavos extrahebat, alius ne caderet Corpus exanimae sustinebat. Stabat etiam Mater Iesu in altum brachia levans, et manus Christi et caput dependentia recipiebat super pectus suum. Quem quum attingere parum valuit, iam non sinebat eum, sed in eius amplexum et oscula ruens, de suo dilecto, licet extincto filio satiari non poterat: dumque de cruce in terram Corpus depositum fuit, prae incontinentia doloris, et immensitate amoris irruit moesta Mater super faciem eius, et faciem suam faciei Christi continxit; et oscula devota imprimens, quasi mortua stetit, et transire ex hoc mundo visa est.

O quis et qualis placentis videre saeculorum omnium Regem, veluti melefactorem de cruce depositum, revolvit manibus modicae familiae assistentis, tractari manibus Matris ad scipsum reversae, et corde cum ipso crucifixae. Stabat ad caput extincti Virgo Maria, quae vehementer plangebatur, et faciem eius rigans, per diversa suspiria torquebatur. Intuebatur frontem, et genas, oculos simul et nasum, osque illius osculabatur frequentius; ipsiusque lacrymae in tanta ubertate fluuebant, ut carnem cum spiritu totam in lacrymas resolvit putares. Quae plangendi causa? quo hic iure copia lacrymarum? quod unica unice Mater in hanc calamitatem devenit, ut cogerecetur illum tam turpiter mortuum tangere, sic aspiciere sine crimine vulneratum, plagatum undique lividum, ubique perfossum valide: cui dum crucigeretur astitit, elevari cum in cruce prospexit, et percepit auribus blasphemias acemulorum, dum alte clamaret audit, dum sitivit, non valuit ut Mater patienti filio dulcem porrigere potum; dum etiam moreretur inclinare caput aspexit, et cor eius doloris gladius pertransivit. Nunc autem, ad doloris augmentum, tenet ipsum in suo materno et virginali gremio reclinatum, et officiosa pro funere cogitur involvere mortuum ex aliena ope sibi praestitis linteis quem natum infantem involvit villibus pannis; et ad amaritudinis cumulum, contra morem Matrum, ipsum cogitur ponere in alieno sepulchro quem puerum vagientem in paupere praesepe reclinavit.

Plorabat implacabiliter etiam Magdalena ad pedes Iesu, quos saepius osculans, et lacrymis iterum rigans et lavans amplexabatur. O quis exprimere posset sui cordis dolorem? quis exprimere

valeret sui cordis amorem? Dilectus etiam ille discipulus, et aliae mulieres familiae Christi non cessabant a fletu, iuvantes involvere Corpus Christi Iesu, et ad sepulchrum illud deferere.

1801 Tertio vero afflicti fuerunt devoti Iesu in eius sepelitione. Dum igitur Ioseph et Nicodemus Dominum vellent ponere in sepulchro, postulabat moestissima Mater sepeliri cum illo. Amplexabatur Filium suum inexplicabili amoris dulcedine; deosculans illum, et dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Illum adhuc paululum reliquit mihi, ut faciem eius, subtrahere velamine, valeam contemplari, et videndo, aliquantulum consolari.

1802 Ponitur tandem Dominus in sepulchro, ac revolvitur lapis super illud: lapidem sepulchri amplexatur et deosculatur, ac madaefacti irriguo lacrymarum moestissima Mater: ac genuflectens et Filium adorans, omni corde, et qua potuit voce Filium benedixit.

1803 O quis enarrare valeret Magdalene gemitus et singultus; ac cordis dolorem, quum extinctum crenebat, et in sepulchro ponebat quem diligebat anima sua?

1804 Quumque in his diutius moraretur moestissima Mater usque ad completorii horam, accessit Ioannes, cui eam commendaverat Christus, lugensque et ipse multum; non enim poterant continere, levavit eam lugentem; nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, et afflicta ploratibus pedibus stare nequibat.

1805 Attende, anima mea, quantum durae iaculationis aspectus materius contuitus praebet, quando a sepulchro Filii dolorosa avulsa, pallens facie, aspersa sanguine, cum suspiriis et gemitibus interruptis, et flebilis lacrymosis vertebat se saepius moesta Mater, dum tardo gressu rediret Ierusalem, et locum in quo extinctum Filium reliquerat prospiciens, gemitus renovabat. Interim quum portae civitatis appropinquaret, forte procurantibus sororibus Matris Dei, portata sunt vestimenta, et capitis vela nova, et vestes viduitatis quae illam induerunt, et caput eius velaverunt. Quumque hora iam tarda ingrederetur Ierusalem, plorantibus cunctis, feminae multae sentientes ploratus, accurrentes, pietate motae super tam afflictae Matris dolore ad luctum convertebantur amarum; et illarum quaedam sequentes illam, cum ea plorabant.

1806 Tam pie plorabat, et tam amare dolebat beata Virgo, quod vix poterat continere lacrymas quicumque videbat vel sentiebat eam; fiebat luctus quocumque transibat, plorabat ipsa, plorabant et ambulantes cum ea, plorabant multae venientes ei obviam.

Sic tandem deducitur a plorantibus quosque ventum est ad Ioannis domum, in qua quandoque cum Filio suo residere solebat.

1808 Quam quum ingressa esset, rememorans loca domus in quibus cum ea fuerat conversatus Filius suus, renovabat ploratus et ululatus, lacrymabiliter dicens: *Heu me dolentem!* ubi est nunc Filius meus? ubi est honor meus? ubi est lumen oculorum meorum? ubi corona capitis mei? ubi es tu gaudium cordis mei? ubi es vita mea? ubi es affectus meus? ubi solatium meum? ubi spes animae meae? Fili mi Iesu, Iesu fili mi. O fili mi Iesu, o fili mi Iesu, o amor meus Iesu, o spes mea Iesu. *Nec erat qui eam consolari posset ex omnibus charis eius.*

FERIA SEXTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XXI, 33-46.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudaeorum, et principibus sacerdotum parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et septem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquaret, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius.

35. Et agricolae, apprehensis servis eius, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verobuntur filium meum.

38. Agricolae autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres, venite, occidamus eum, et habebimus haereditatem eius.

39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, et occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?

41. Alii illi: Malos male reddet: et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.

44. Et qui occiderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audisset principes sacerdotum et Pharisaei parabolam eius, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46. Et quaerentes eum tenere, timerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.
IN EVANG. LUC. CAP. 90.

1809 **P**LERIQUE varias significationes de vineae appellatione derivant; sed evidenter Isaías vineam Domini Sabaoth, domum Israel esse memoravit (Is. v, 7). Hanc vineam quis alius nisi Deus condidit? Hic est ergo qui locavit eam, et peregre profectus est: non quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui ubique semper est: sed quia est praesentior diligentibus, negligentibus abest. Multis autem temporibus absuit; ne praepropera videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inescusabilior pervicacia.

1810 Unde bene secundum Matthaeum habes, quia: *Et saepe circumdedit* (MATTH. XXI, 33), hoc est, divinae custodiae munitione vallavit; ne facile spiritualium patere incursibus bestiarum. *Et fodit in ea torcular* (Ibid.). Quomodo intelligimus quid sit torcular, nisi forte quia psalmi pro torcularibus inscribuntur (PSAL. VIII, LXXX et LXXXIII), eo quod in his mysteria Dominicae passionis, modo musti sancto fervente Spiritu prophetarum redundantius aestuaverint? Denique ebrii putabantur, quibus Spiritus sanctus inundabat (ACT. II, 13). Ergo et hic fodit torcular, in quod uvae rationabilis fructus interior spiritali infusione deflueret. *Aedificavit turrim* (MATTH. XXI, 33), verticem, scilicet, legis attollens: atque ita hanc vineam munitam, instructam, ornatam locavit Iudaeis.

1811 Et tempore fructuum servulos suos misit. Bene tempus fructuum posuit, non proventus; nullus enim fructus existit Iudaeorum, nullus vineae huius provenus, de qua Dominus ait: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem spinas* (Is. v, 2). Itaque non laetitiae vino, non spiritali musto, sed cruento prophetarum sanguine torcularia redundarunt. Denique

Jeremias in lacum missus est (JEREM. XXXVIII, 6); haec enim erant iam torcularia Iudaeorum non vino repleta, sed borbore. Et licet generaliter prophetae videantur exprimi, dat tamen lectio (III REG. XXI, 13), ut illum qui lapidatus est, Nabutham esse credamus: cuius etsi nulum acceperimus propheticum verbum, acceperimus propheticum factum; quia multos pro hac vinea futuros martyres proprio sanguine prophetauit. Quis autem est ille qui in capite vulneratur? Nimirum Isaías, cuius facilius compaginem corporis serra divisit, quam fidem inclinavit, constantiamve detrivit, ad vigorem mentis exsecuit.

1812 Eo igitur factum est, ut cum plures alios destinasset, quos Iudaei inhonoros et inanes sibi, de quibus nihil potuerunt proficere, dimiserunt: novissime etiam Filium unigenitum mitteret, quem perfidi, quasi haeredem removere cupientes, occiderunt crucifigendo, eiecerunt negando.

1813 Breviter itaque quam magna, quam multa. Primum quia naturalis est bonitas quae plerumque credit indignis: deinde quia postremum malorum remedium Christus advenit: tum quoniam qui haeredem negat, de auctore desperat. Haeres autem Christus, idemque testator et haeres, quia morti propriae supervivit, et Testamentorum quae ipse condidit, tamquam haereditaria in nostris profectibus ineludenta consequitur.

1814 Pulchre ergo interrogat, ut sua se ipsi damnent sententia. Venturum autem Dominum dicit vineae, quod in Filio adsit etiam paterna maiestas, vel quod ultimis temporibus praesentior humanis aspiret affectibus. Ipsi itaque in se sententiam dicunt, ut mali pereant, et ad alios colonos vinea transferatur. Qui igitur sint coloni, quae vinea, consideremus.

1815 Vineae typus noster est, quod populus Dei vitis aeternae radice fundatus, supereminet terris, ac solum vile praetextens, nunc gemmanti flore pubescit, nunc circumfusa viriditate vestitur, nunc mite iugum suscipit, cum maturioribus brachiis quasi sarmentis secundae vitis adoleverit. Agricola quippe omnipotens Pater, vitis est Christus (IOANN. XV, 1): at vero nos palmites, qui, nisi fructum feramus in Christo, cultoris aeterni falce succidimur. Recte igitur vinea Christi populus nominatur, vel quod crucis in fronte praetextatur indicium, vel quod fructus eius postrema anni legatur aetate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitiibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis in Ecclesia Dei aequa dimensio, nulla discretio sit: ut vitis vitiibus, arboribus, ita corpus animae, anima quoque corpori coniugatur: ut vinea dum iugatur, erigitur, et recisa non minuitur, sed augetur: ita sancta plebs dum ligatur, exultat: dum humiliatur, attollitur: dum reciditur, coronatur. Quin etiam ut tener surculus veteri abscissus ex arbore, in alterius fetu radicis inseritur: ita populus hic sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis in illo crucis ligno tamquam gremio patris inseritur: Spiritusque sanctus sicut in altis demissus terrarum serobes, ita in hoc carcerum corpus infusus, aquae salutaris irriguo diluit quidquid est fetidum, membrorumque nostrorum habitu in coelestem erigit disciplinam.

1816 Hanc vineam diligens agricola fodere, iugare, contendere consuevit: eruditionisque terrenae molis aggeribus, operata corporis nostri nunc sole torreret, nunc imbre perfundere, stirpare agrum solutus: ne a sentibus gemma laedatur, ne luxuriet umbra foliorum, verborumque

infructuosa iactantia virtutibus obumbrando, maturitatem indolis naturalis impediatur. Sed absit ut huic vineae quidquam timeamus adversi, quam pervigil custos Domini Salutaris adversus omnes nequitiæ saecularis illecebras muro vitae vallavit aeternae, et extendit palmites eius usque ad mare (PSAL. LXXIX, 12): *Domini enim est terra* (PSAL. XXIII, 1). Ubique Deus Pater colitur, ubique Christus Dominus adoratur.

1817 Haec est nostra vindemia. Laeti igitur atque securi, pars gremium suum mitium funiculis oneret uvarum, alii coelestia munera ore libemus, plerique bonarum gressibus voluntatum divini fructum muneris experimentes, vestigia cothurnis nuda direptis, musto fluente tingamus; locus enim in quo stamus terra sancta est, et ideo calcamenta solvenda sunt (EXOD. III, 5), ut spirituale vestigium sacrosanctae sedis tribunal ascendens, corporei nexus vinculis exuatur; deest enim totius orbis hic esse vindemiam, ubi totius orbis est vinea.

1818 Ecce tempus acceptabile, quo non hiemalibus perfidiae caligantis pruinis annus riget, nec altis nubibus informis crusta blasphemiae, gelu durante, concrescit: sed procellis sacrilegii liberata, novos fructus terra iam parturit. Vere parit; dissensionum quippe omnium procella deferbuit, cuncti saecularis cupiditatis ardores aestusque omnes quibus Italiae populus per Iudaicæ olim et Arianae proxime saevitatis incendia coquebatur, sereno iam spiramine temperantur. Sedata tempestas est, concordia navigat, fides spirat: certatim nautae repetunt fidei quos reliquere portus, et dulcia patriis oscula litoribus affigunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes.

1819 Salve, vinea tanto digna custode: te non unius Nabuthae sanguis, sed innu-

merabilium prophetarum, et (quod est amplius) pretiosus cruor Domini consecravit. Ille licet non regalibus minis terribus constantiam metu presserit, non praemiis uberrimis provocatus religio-
 1820 **T**ERTIO principaliter in proposito Prophetae verbo inducitur a Christo ad sensum suorum vituperiorum et confusionem, quia dixit *humiliatus sum nimis*, id est, excessi in humilitate; de quo excessu Luc. IX. cap. scriptum est quod *Moses et Elias visi erant in ministerio, et dicebant excessum eius quem completurus erat in Jerusalem*. De hoc quoque ad Philipp. II. cap. Apostolus ait: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Luc. quoque 24. scriptum est: *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*; et quolibet verbum praedictum potest esse thema pro diebus praecedentibus hunc diem, aut pro festo sanctissimae Crucis.

1821 Ante omnia tamen ponendum est ad intelligentiam dicendorum quod, secundum Alexand. de Ales in 3. triplex est differentia inter pati nostrum et pati Christi. Primo, quia in nobis est necessitas ad patientiam, in Christo autem solummodo dispositio absque ulla necessitate. Secundo quia nos patimur, velimus, nolimus; ipse autem potestatem habuit suae passionis, ut dictum est. Tertio, quia nos passibilitatem habemus per causam, scilicet, ex peccato: Ipse autem passibilitatem habuit, non per causam, vel necessitatem aliquam, sed sola voluntate assumptam. Si igitur vis omnium quae fecit Christus, et quae passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. Unde Is. LIII: *Oblatus est, quia ipse voluit*: voluntatem vero

1822 eius nulla praecessit necessitas; quare non fuerunt, nisi quia voluit; si non voluisset, non fuissent. Haec Alexan.

Ex his igitur manifeste apparet quod sola dilectio Christi et Patris aeterni ad nos coegit cum tot et tanta pati, sicut Ioan. III. cap. scriptum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, scilicet, ad acerbissimam mortem crucis. His igitur iam praemissis, advertendum est quod oportuit Christum pati confusionem et supplicium crucis ex triplici respectu. Primo respectu Dei, secundo respectu mali, tertio respectu nostri.

1823 Primo quidem oportuit pati Christum respectu Dei, id est, respectu totius Trinitatis. Primo quidem respectu Patris, secundo respectu Filii, tertio autem respectu Spiritus sancti.

1824 Primo enim oportuit pati Christum respectu Patris: et hoc maxime propter tria. Primo propter Patris honorationem, secundo propter placationem, tertio propter Patris ordinationem.

1825 Primo, inquam, oportuit pati propter Patris honorationem. Quaelibet enim mortalis culpa dicitur infinita propter infinitum Deum quem infinite offendit et inhonorat. Considera igitur nunc quod quantum Dei Filius Christus diligebat Patrem, tantum tenebatur diligere illius gloriam et honorem, et horrere suam inhonorationem, offensionem et confusionem. Quanto autem plus illius honorem amabat, et inhonorationem horrebat, tanto plus satisfacere tenebatur pro iniuriis et inhonorationibus sibi factis.

1826 Nullus autem modus sufficientior, iustior et convenientior erat ad satisfaciendum inhonoracionibus et offensionibus Patris, quam summa confusio et supplicium mortis Christi Filii eius; qui in quantum homo dolere, humiliari, mereri, et satisfacere poterat pro humana generatione offenso Patri; et in quantum Filius Dei erat, meritum poterat in tantum multiplicare, et dilatare, quod infinite satisfacere poterat pro infinita Patris offensione; tanta erat capacitas illius animae ex personali unione quam habebat cum Deo.

1827 Secundo oportuit pati Christum propter Patris placationem; quia enim Christus fuit Rex pacificus, et pacis mediator inter offensum Patrem, et humanam naturam offendentem; tantum necesse fuit ei laborare pro pace inter eos necessario reformanda, quantum inter illos dilexit pacem, et inimicitiam ac separationem odovit, et quantum difficile erat has duas extremitates in simul convenire, ut essent simul dives et pauper in unum: dives Pater in iustitia, et pauper genus humanum ex culpa, unde ad Ephes. II. dicit Apostol. ad quosdam in persona totius humani generis: *Vos qui aliquando eratis longe*, scilicet, per culpae inimicitiam, facti

1828 *estis prope*, scilicet, per pacem veram et unitivam in Sanguine Christi: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*; et subditur: *Per crucem inferentibus inimicitias in senescentia*. Quantum utique laborare necesse haberent brachia fortissimi pugilis volentis coelorum sublimitatem inclinare ad ima, et terrae ponderositatem levare ad alta, ita quod in medio spatio in pacis osculo convenirent: magis autem incomparabiliter laborare necesse fuit Filium Dei Christum, ut rigorem flecteret paterna iustitiae, et elevarer pondus nostrae gravissimae culpae.

1829 Tertio oportuit pati Christum propter Patris ordinationem; quia enim, sicut in praecedentibus dictum est, oportebat pati Christum pro Patris honore, et pro Patris placatione; ideo conveniens fuit Deum hoc praedecernere et praedecere per Prophetas, ac per consequens necessarium erat hoc iam praedecernatum et praenunciatum impleri. Unde Dominus Matth. XXVI. cap. inquit: *Quomodo ergo implebitur Scripturae? quia sic oportet fieri*. Et Marc. VIII. cap.: *Quoniam oportet Filium hominis pati multa*.

1830 Item, secundum Alex. de Ales, in III. ordinavit aeternus Pater nostram redemptionem fieri per mortem Filii sui; quia si Pater aeternus hominem non liberasset, esset ei conveniens secundum iustitiam; si autem alio modo liberasset, esset ei conveniens secundum misericordiam; sed quod per passionem Filii sui liberaret est conveniens secundum iustitiam, misericordiam, et sapientiam.

1831 Secundum iustitiam quidem conveniens fuit: Dei enim iustitia est quod nunquam peccatum impune dimittat. Peccatum enim non ordinatur, nisi in poena, secundum sententiam August. in lib. de natura boni. Peccantes in suppliciis ordinantur; sed peccatum aut ordinatur de iustitia Dei stricta ut puniatur aeternaliter, aut de iustitia, ut cum misericordia puniatur temporaliter: et sic passio de iustitia est; quia non poterat reatus solvi per hominem purum; unde Ansel. Homo enim non poterat reddere, sed debebat; Deus non debebat, sed poterat. Oportuit ergo quod solveret homo Deus; homo qui deberet, Deus qui posset.

1832 Secundum misericordiam etiam conveniens fuit; nam Deus non coegit liberum arbitrium hominum crucifigentium Christum, ut crucifigerent eum, sed necessaria ad redemptionem donavit; unde si compulisset ne possent ei intentare mortem, iam habuisset coactam vitam. Ex quo patet quod ex proprio nutu Christi intulerunt mortem; Deus autem ex malo impetu eorum ex misericordia bonum nostrae redemptionis produxit, debito ordine conservato.

1833 Secundum sapientiam quoque conveniens fuit; quia in hoc apparuit magna sapientia Dei, quia ex malis poenae elicit tot mirabilia bona; propter haec omnia Luc. XXII. cap., ait Dominus: *Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit; veruntamen vae homini illi per quem tradetur*. Et Matth. XVI. adversanti Petro passioni suae inquit: *Non sapis quae Dei sunt*, quasi dicat: Sic a Patre meo ordinatum est. Huius sententiae est Alex. de Ales ubi supra.

1834 Secundo autem oportuit pati Christum respectu sui, maxime propter tria sapientiae mysteria quae Filio appropriantur.

1835 Primo propter mysterium correspondens; hoc est, ut responderet medela humano morbo, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Christum Dominum nostrum. Hinc Augustinus in serm. de Passione Domini ait: *Quidquid Adam in ligno perdidit, in cruce Christus invenit*.

1836 Secundo oportuit pati Christum propter mysterium significationis. Convenienter enim Christus sustinebatur a cruce qui crucem super humeros suos ipse portavit, quod etsi insensatis infidelibus, et paganis videatur ludibrium vanitatis, fidelibus tamen apparet altum mysterium veritatis et charitatis; et maxime propter tria. Nam Christus portavit crucem primo, sicut Imperator regale sceptrum, secundo sicut victor triumphum, tertio sicut illuminator candelabrum.

1837 Primo enim portavit Christus crucem, sicut gloriosus Imperator regale sceptrum. Hinc Is. IX. cap. ait: *Factus est principatus eius super humerum eius*. Et iterum Psal. xcvi. inquit: *Quia Dominus regnabit a ligno*. August. quoque exponens illud ad Gal. VI. ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, scripsit, dicens: Crucem, in ea ut gloriemur, Dominus suo gestans humero, pro virga regni nobis commendavit. Quod est grande ludibrium impiis, et ubi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurarium reperit. Quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia et gloria.

1838 Secundo portavit Christus crucem sicut victor triumphum, scilicet, in victoriae signum: unde ad Col. II. cap. Apostolus ait: *Expoliatus principatus et potestates, tradidit illas palam triumphans*.

1839 Tertio portavit Christus crucem, sicut illustrator candelabrum, super quo ponenda erat lucerna de qua ipsemet Salvator, Ioan. VIII. cap., testatus est, dicens: *Ego sum lux mundi*. Ascendit Dominus crucem, sicut Doctor cathedram, vel pulpitum Praedicatoris; scilicet, ut viam ac doctrinam doceret veritatis. Hinc Bern. ait: In altum ascendit, ut ab omnibus videretur. Clamori

lacrymas addidit, ut homo compateretur. Ecce, quod crux facta est in passione Domini cathedra sapientiae. De hoc I Cor. 1, Apostolus ait: *Nos praedicamus vobis Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis, Christum Dei sapientiam et Dei virtutem.* Et iterum in eodem cap. ait: *Verbum enim crucis persecutibus quidem stultitia est: his autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est;* quia, scilicet, per virtutem eius omnes thesauri sapientiae Dei humilibus et devotis illius manifestantur. Propterea Is. xxii cap. ad aperendum fidelibus sapientiam crucis, eam promisit Dominus, dicens: *Dabo clavem David super humerum eius.* Hac siquidem clave a Mystra reyclantur per eum qui habet clavem David, qui aperit, scilicet, illa mysteria per hanc crucem, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit. Apoc. iii. Haec siquidem est sapientia quam ad Ephes. ii cap. Apostolus per crucem comprehendere nos optabat, quum dicebat: *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quae sit latitudo, longitudo, subtilitas, et profundum:* hoc est, ut comprehendamus quod ille qui passus est erat Dei Filius qui habet latam dilectionem se extendentem usque ad persecutores et inimicos. Habet longitudinem, id est, longam dominationem, quia est Alpha et Omega, principium et finis omnis rei. Habet altam dominationem, quia in nomine eius flectitur omne genu coelestium Angelorum, terrestrium hominum, et infernorum daemoniorum. Et habet profundam cognitionem, quia, secundum Apostolum, Col. ii cap.: *In eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi.*

SABBATO

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
LUC. XV, 11-32.

In illo tempore: Dixit Iesus pharisaeis et scribis parabolam istam: Homo quidam habuit duos filios:

12. et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiae quae me contingit. Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose.

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere.

15. Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: et nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame perco!

18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in caelum, et coram te: 19. iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in caelum, et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum eius, et calcamenta in pedes eius:

23. et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur:

24. quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est. Et cooperuit epulari.

25. Erat autem filius eius senior in agro: et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum:

26. et vocavit unum de servis, et interrogavit quid haec essent.

27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus est autem, et volebat introire. Pater ergo illius egressus, coepit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servo tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi, et nunquam dedisti mihi hodieum et cum amicis meis epularer:

30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt:

32. epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

IN EVANG. LUC. CAP. 15.



Vides quod divinum patrimonium petentibus datur. Nec putes culpam patris, quod adolescentiori dedit: nulla Dei regno infirma aetas, nec fides gravatur annis. Ipse certe se iudicavit idoneum qui poposcit. Atque utinam non recessisset a patre, impedimentum nescisset aetatis: sed posteaquam domum patriam derelinquens peregre profectus est, coepit egere. Merito ergo prodegit patrimonium, qui recessit ab Ecclesia. Posteaquam domum, inquit, patriam derelinquens.

Peregre profectus est in regionem lon-

ginquam. Quid enim longinquus quam a se recedere; nec regionibus, sed moribus separari: studiis discretum esse, non teris; et quasi interfuso luxuriae saecularis aestu, divortia habere factorum?

Etenim qui se a Christo separat, exsul est patriae, civis est mundi. *Sed nos non sumus advenae atque peregrini, sed cives sumus sanctorum et domestici Dei* (EPH. ii, 19): qui enim eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi (Ibid. 13). Non invidemus de longinqua regione remeantibus; quia et nos fuimus in regione longinqua, sicut Isaias docet dicens: *Qui sedebant in regione umbrae mortis, lux orta est illis* (Is. ix, 2). Regio ergo longinqua, umbra est mortis; nos autem, quibus spiritus ante faciem Christus est Dominus, in umbra vivimus Christi. Et ideo dicit Ecclesia: *In umbra eius concupivi, et sedi* (CANT. ii, 3).

Ille igitur vivendo luxuriose consumpsit omnia ornamenta naturae. Unde tu qui accepisti imaginem Dei, qui habes similitudinem eius, noli eam irrationabili foeditate consumere. Opus Dei es, noli ligno dicere: *Pater meus es tu* (IER. ii, 27); ne accipias similitudinem ligni; quia scriptum est: *Similes fiant illis, qui faciunt ea* (PSAL. cxliii, 8).

Facta est fames per regionem illam. Fames non epularum, sed bonorum operum atque virtutum, quae sunt miserabiliora ieiunia. Etenim qui recedit a verbo Dei, esurit: *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (MATTH. iv, 4). Qui recedit a fonte, sitit; qui recedit a thesauro, eget; qui recedit a sapientia hebetatur; qui recedit a virtute, dissolvitur. Merito ergo iste egere coepit, quia thesauros sapientiae et scientiae Dei divitiarumque coelestium altitudinem dereliquit. Egere ergo ideo coepit, et famem pati, quia nihil prodigae satis est voluptati. Semper fa-

mem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri.

Abiit itaque, et adhaesit uni civium. Qui enim haeret, in laqueo est. Et videtur civis iste princeps esse istius mundi. Denique ad villam eius mittitur quam emit, qui excusat a regno. Et pascit porcos; illos utique, in quos petit diabolus introire, quos praecipit in mare istius mundi, in sordibus ac fetore viventes.

Et cupiebat, inquit, siliquis implere ventrem suum. Neque enim alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem suum impleant, quorum Deus venter est (PHILIPP. iii, 19). Quis autem aptior huiuscemodi hominibus cibus, quam is qui siliquae modo intus inanis, foris mollis est; quo corpus non reficitur, sed impletur; ut sit magis oneri, quam usui?

Sunt qui porcos accipiant pro gregebus daemonum, siliquas pro exili virtute inanium hominum, sermonumque iactantia, qui nihil prodesse possunt inani quadam philosophiae seductione et quodam sonoro facundiae plausu pompam magis quam utilitatem aliquam demonstrantes. Sed haec diuturna oblectamenta esse non possunt; et ideo:

Nemo illi dabat; erat enim in regione illius, qui neminem habet; quia eos qui sunt, non habet. Omnes quippe gentes nihilo aestimantur (Is. xl, 17); solus autem Deus est qui vivificat mortuos. *Et votum quae non sunt, tanquam quae sunt* (ROM. iv, 17).

In se autem reversus dixit: Quanti panibus mercenarii patris mei abundant! Bene in se revertitur, qui a se recessit. Etenim qui ad Dominum regressitur, se sibi reddit; et qui recedit a Christo, se sibi abdicat. Mercenarii autem qui sunt, nisi qui ad mercedem serviunt, qui sunt ex Israel, non id quod bonum est probitatis studio persequentes, nec

virtutis gratia, sed utilitatis studio provocati? At vero filius qui habet Spiritus sancti pignus in corde, saecularis mercedis lucella non quaerit, quibus serviat. Haeredes sunt etiam mercenarii qui conducuntur ad vineam. Bonus mercenarius Petrus, Ioannes, Iacobus, quibus dicitur: *Venite, et faciam vos piscatores hominum* (MATTH. IV, 19). Isti non siliquis sed panibus abundant. Denique collegerunt fragmentorum cophinos duodecim (MATTH. XIV, 20). O Domine Iesu, si nobis auferas siliquis, et panes tribuas! Tu enim dispensator in domo es Patris. O si nos quoque mercenarios digneris conducere, licet sero venientes! Nam et undecima conducis hora, et aequalem dignaris mercedem solvere, aequalem mercedem vitae, non gloriae (MATTH. XX, 6, 7); neque enim omnibus reposita est corona iustitiae, sed ei qui potest dicere: *Certamen bonum certavi* (II TIM. IV, 7).

1848 Quod ideo non praetermittendum arbitratus sum, quia scio quosdam dicere quod ad mortem sibi lavacri gratiam, vel poenitentiam reservent. Primum qui scis an nocte proxima tua a te anima repositur? Deinde cur putas otioso tibi omnia posse deferri? Pone unam gratiam, unam esse mercedem; diversum tamen bravium victoriae est, ad quod se non frustra Paulus extendit, qui post mercedem gratiae, bravium tamen ut comprehenderet sequebatur (PHILIPP. III, 14); quia sciebat etsi par esset merces gratiae, palmam tamen esse paucorum.

1849 Et quoniam in vineam Domini venimus, non vacui recedamus: iuvat enim fructus legere, mercenarios eius videre. Quid enim sibi vult quod una die diversis horis conducuntur operarii (MATTH. XX, 1-6), nisi *quia mille anni in oculis Domini, sicut dies hesternae quae*

praeteriit, et hora in nocte? (PSAL. LXXXIX, 4). Quae est nox, nisi quae praecedit, ut dies appropinquaret? Et bene *hora in nocte, quia mille anni sicut dies una* (II PETR. III, 8). Novit vim diei huius ille qui dixit: *Iesus Christus heri et hodie, ipse est et in saecula* (HEBR. XIII, 8). Scivit et ille diem esse multiplicem, qui scripsit: *Hic dies generationis coeli et terrae cum facta sunt; quia die fecit Deus coelum et terram, et omne viride agri* (GEN. II, 4). Cum enim supra septem descripsisset dies, postea uno die omnia facta complexus est, totum mundi tempus ostendens in conspectu Domini tamquam diem unum; eo quod ex incompositis atque tenebrosis forma istius mundi, divini operis claritate processerit. Ergo si dies totum tempus est mundi, habet utique etiam in saeculis horas suas: aut ipsa saecula horae sunt. Horae autem diei duodecim sunt; unde bene in mysterio dies Christus, cuius apostoli duodecim, qui coelesti lumine distinctis in se gratiae vicibus refuserunt.

Venit ergo paterfamilias et prima hora 1850 conduxit operarios, fortassis eos qui a principio mundi usque ad diluvium iusti esse meruerunt, de quibus ait: *Et locutus sum ad vos ante lucem: et misi ad vos servos meos prophetas ante lucem* (IER. VII, 25). Tertia post diluvium incipit, Noc ceterorumque tempora comprehendens, qui quasi boni operarii in vineam destinantur; ideo quasi in prandio inebriatus est Noe. Sexta et reliquae Abrahae, Isaac, et Iacob patriarcharum merita distinguunt. Nona, inclinante iam saeculo, et tamquam pallescente luce virtutis, Lex et Prophetae decoloros mores hominum notaverunt. Undecimam, et quod superest diei, sacer product adventus. Unde et ipse in Evangelio dicit: *Ambulate dum lumen habetis* (IOANN. XII, 35).

1851 Sed iam redeamus ad Patrem: licet non verear ne istius poenitentiam gerentis exemplo diu abuisse videamur (numquam enim abuimus, qui versabamur in vinea, in qua si et iste mansisset, non recessisset a Patre), cavendum tamen est, ne nos ei reconciliationis faciamus moram, quam non fecit Pater. Facile reconciliatur, quando impense rogatur. Et ideo discamus quali Pater obsecratione sit ambiendus. *Pater*, inquit. Quam misericors, quam pius, qui nec offensus patrum dedignatur nomen audire!

1852 *Pater*, inquit, *peccavi in coelum et coram te*. Haec est prima confessio apud auctorem naturae, praesulum misericordiae, arbitrum culpae. Sed etsi Deus novit omnia, vocem tamen tuae confessionis exspectat. *Ore enim confessio fit ad salutem* (ROM. X, 10); quia allevat pondus erroris, quisquis ipse se onerat; et accusationis excludit invidiam, qui accusatorem praeventit confitendo: *Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui* (PROV. XVIII, 17). Frustra autem velis occultare, quem nihil fallat; et sine periculo prodas, quod scias esse iam cognitum. Confitere magis ut interveniat pro te Christus quem advocatum habemus apud Patrem; roget pro te Ecclesia, et illacrymet populus. Nec vereare ne non impetres. Advocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternae pietatis pollicetur assertor. Crede, quia veritas est; acquiesce, quia virtus est. Habet causam ut pro te interveniat, ne pro te gratis mortuus sit. Habet causam ignoscendi Pater, quia quod vult Filius, vult et Pater.

1853 *Peccavi in coelum et coram te*. Non utique elementum exprimitur, sed peccato animae coelestia significantur dona Spiritus imminuta; vel quia ab illius

gremio matris Ierusalem quae in coelo est, non oportuit deviare.

Iam non sum dignus vocari filius tuus. 1854 Deiectus enim se exaltari non debet, ut merito suae possit humilitatis attolli.

Fac me sicut unum mercenariorum tuorum. 1855 Novit esse distantiam inter filios, amicos, mercenarios et servos; filius per lavacrum, amicus per virtutem, mercenarius per laborem, servus per timorem. Sed etiam ex servis et mercenariis fiunt amici, iuxta quod scriptum est: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis: iam non dico vos servos*

(IOANN. XV, 14, 15).

Haec apud se dixit; sed non satis est 1856 dicere, nisi ad patrem venias. Ubi illum requiras, ubi invenias? Exsurge primo, hoc est, qui sedens ante dormiebas. Et ideo dicit Apostolus: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (EPHES. V, 14). Iniquitas in talento plumbeo sedet. Moysi dicitur: *Tu autem hic sta* (DEUT. V, 31). Stantes elegit Christus. Exsurge ergo, curre ad Ecclesiam; hic est Pater, hic est Filius, hic est Spiritus sanctus.

1857 Occurrit tibi, qui audit te intra mentis secreta tractantem. Et cum adhuc longe sis, videt et accurrit. Videt in pectore tuo, accurrit ne quis impediat, complectitur quoque: in occurru praesentia est, in complexu clementia, et quasi quidam patrii amoris affectus. Supra collum cadit, ut iacentem erigat, et oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad coelum, in quo suum quaerat auctorem. Cedit in collum tuum Christus, ut cervicem iugo exuat servitutis, et collo tuo iugum suave suspendat. Nonne tibi videtur cecidisse in collum Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu, cervice recubens reflexa? Et ideo Verbum apud Deum vidit; quia erectus est ad superna. Cedit in collum cum dicit: *Venite ad me, qui laboratis...*

et ego vos reficiam; tollite iugum meum super vos (MATTH. XI, 28, 29). Cadit ergo hoc modo, si convertaris.

1858 Et iubet proferri stolam, annulum, calceamenta. Stola amictus est sapientiae quo nuda corporis apostoli tegunt, eo quod se unusquisque convolvat; et ideo stolam accipiunt, ut corporis infirmitatem sapientia spiritualis virtute convestiant. De Sapientia enim dictum est: *Lavabit in vino stolam suam* (GEN. XLIX, 11). Ergo stola spirituale indumentum est et vestimentum nuptiale. Annulus quid est aliud, nisi sincerae fidei signaculum, et expressio veritatis? Calceamentum autem Evangelii praedicatio est; et ideo accipit sapientiam primam. Est enim et aliud mysterium quod nescit, nisi qui accepit dictorum suorum factorumque signaculum et quoddam munimentum bonae intentionis et cursus; necubi offendant ad lapidem pedem suum, et supplantatus a diabolo Dominicae praedicationis officium derelinquat. Haec est praeparatio Evangelii, ad coelestium cursum dirigens praeparatus; ut non in carne ambulemus, sed in spiritu.

1859 Occiditur et vitulus saginatus, ut carnem Domini spirituali opimam virtute per gratiam sacramenti mysteriorum consortio restitutus epuletur. Nemo enim nisi qui timerit Deum (*quod est initium sapientiae*), nisi signaculum spirituale vel custodierit vel receperit, nisi Dominum praedicaverit, sacramentum debet interesse coelestibus. Qui autem annulum habet, et Patrem habet, et Filium, et Spiritum sanctum; quia signavit nos Deus, cuius imago Christus: et dedit pignus Spiritum in cordibus nostris, ut sciamus hoc annuli istius qui in manu datur, esse signaculum, quo cordis interiora, factorumque nostrorum ministeria signantur. Ergo signati sumus, sic ut et legitimus: *Credentes*, inquit, *signati*

estis Spiritu sancto (EPH. I, 13). Bene autem carnem vituli, quia sacerdotalis est victima, quae pro peccatis fiebat.

Epulantem patrem inducit filius: ut ostenderet quoniam paternus cibus est salus nostra, et Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum est. Et hic quidem si ad Patrem referas, quia hostia pro peccatis Filius est, delectatur Pater reditu peccatoris; supra delectatur Filius, inventa ove; ut scias quia una est Patris et Filii delectatio, una operatio in Ecclesiae fundamento. Laetatur autem pater;

Quia filius perierat, et inventus est: mortuus fuerat, et revixit. Ille perit qui fuit; non enim potest perire qui non fuit. Itaque gentes non sunt, Christianus est, iuxta quod supra dictum est: *Quia elegit Deus quae non sunt; ut quae sunt, destrueret* (I COR. I, 28). Potest tamen et hic in uno accipi species generis humani. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Perit Adam, et in illo omnes perierunt. Homo igitur et in illo homine qui perierat, reformatur: et ille ad similitudinem Dei factus et imaginem, divina patientia et magnanimitate reparatur. Quid est ergo: *Elegit Deus quae non sunt; ut quae sunt, destrueret?* (I COR. I, 28). Id est, elegit populum gentium qui non erat, ut destrueret populum Iudaeorum.

Potest et de agente poenitentiam dictum videri; quia non moritur, nisi qui aliquando vixit. Et ideo gentes non moriuntur, sed mortuae sunt; etenim qui in Christum non credit, semper est mortuus. Et gentes quidem cum crediderint, per gratiam vivificantur: qui vero lapsus fuerit, per poenitentiam reviviscit.

Sequitur locus, ut remittendis post poenitentiam debeamus favere peccatis; ne dum veniae alterius invidemus, ipsi

eam non mereamur a Domino. Quis enim tu es qui Domino contradicas, ne cui velis, culpam relaxet; cum tu cui volueris, ignoscas? Vult rogari, vult obsecrari. Si omnium iustitia, ubi Dei gratia? Quis tu es qui inideas Deo?

1864 Et ideo notatur hic frater, usque adeo ut de villa venire dicatur, hoc est terrenis operibus occupatus, ignorans quae sunt Spiritus Dei: ut denique numquam pro se vel hoedum queratur occisum; non enim pro invidia, sed pro venia mundi agnus est immolatus. Invidus hoedum quaerit: innocens agnum pro se desiderat immolari. Ideo et senior dicitur; eo quod cito aliquis per invidiam conenescat. Ideo et foris stat; eo quod malevolentia eum animi liventis excludat. Ideo chorum et symphoniam audire non potest, hoc est, non illa theatralis incentiva luxuriae, nec allicorum concentus sonorum, sed plebis concordiam concinentis, quae de peccatore servato dulcem resultet laetitiae suavitatem.

1865 Constitue mihi aliquem ex his qui sibi iusti videntur, qui trabem in oculo suo non vident, et alieni festucam vitii ferre non possunt. Quomodo indignatur, quando alicui peccatum fatenti, et diu indulgentiam deploranti venia relaxatur? Quomodo aures eius symphoniam populi spirituale ferre non possunt? Haec est enim symphonia, quando concinit in Ecclesia diversorum actuum atque virtutum, velut variarum chordarum indiscreta concordia, psalmus respondetur, amen dicitur. Haec est symphonia quam scivit et Paulus; et ideo ait: *Psallam spiritu, psallam et mente* (I COR. XIV, 15). Haec de parabola praesenti putavimus esse tractanda.

1866 Nec invidemus si quis duos fratres istos velit referre ad populos duos, ut sit adulescentior populus ex gentibus tamquam Israel, cui frater maior bene-

ficium paternae benedictionis invidit. Quod faciebant Iudaei, cum quererentur quia Christus cum gentibus epularetur; et ideo hoedum, mali odoris sacrificium requisierunt. Iudaeus hoedum requirit, Christianus agnum; et ideo illis Barabbas solvitur, nobis agnus immolatur. Unde apud illos fetor est criminum, apud nos remissio peccatorum, dulcis in spe, suavis in fructu. Qui hoedum quaerit, exspectat Antichristum; Christus enim boni odoris est victima (EPH. V, 2).

Quaeri etiam in hoedo videtur, quia 1867 Iudaei ritum veteris sacrificii perdidicerunt: vel quia nullius sanguis his profuit, sicut Christi sanguis Ecclesiae; non enim redimere eos sanguis potuit prophetarum. Impudens autem et similis illius Pharisaei iustificantis se arroganti prece, qui putabat quod numquam praeterierit mandatum Dei, quia legem servabat in litteris. Impius qui accusabat fratrem quod cum meretricibus paternam substantiam prodigisset, cum debuerit advertere quia sibi dictum est: *Meretrices et publicani praecedunt vos in regnum coelorum* (MATTH. XXI, 31).

Stat autem foris, nec excluditur; sed 1868 non ingreditur, ignorans voluntatem Dei de vocatione gentium, servus iam factus ex filio; servus enim nescit quid dominus agat (IOANN. XV, 15). Ubi cognovit, invidet; et torquetur Ecclesiae bonis, et foris stat. Foris enim Israel audit chorum et symphoniam; sed irascitur quia hic concinit plebis gratia, et consona populi iubilatio. Sed bonus pater etiam hunc salvare cupiebat, dicens:

Fili, tu semper mecum fuisti. Vel quasi 1869 Iudaeus in lege, vel quasi iustus in comunione; et es, si desinas invidere. *Et omnia mea tua sunt.* Vel Iudaeus 1870 sacramenta veteris Testamenti, vel baptizatus etiam novi possidens.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. I, SERM. 57.)

- 1871 TERTIO oportuit pati Christum in cruce propter mysterium clarificationis, scilicet, Nominis eius. Licet enim Filius Dei Iesus per coniecturam, seu per certam notitiam, aut solum quod nomen eius vocem ab aliquibus cognosceretur ante passionem Salvator mundi, et haberet nomen quod est super omne nomen; tamen, secundum Bonavent. in 3 dist. xiv. super litteram, absque dubio per passionem et crucem meruit sui nominis clarificationem. Clarificatio autem nominis eius in hoc consistit, quod communiter homines noverant illum, qui humana natura esse Filium Dei apparuit, et Iesum Christum.
- 1872 Quodlibet autem istorum nomen est nomen super omne nomen: nam Filius Dei nominat Personam in una natura, Christus et Iesus, nominat Personam in duabus naturis: Christus enim nominat Personam in humana natura relata ad Divinam; quia dicitur unctus: Iesus autem nominat Personam in natura divina relata ad humanam, quia interpretatur Salvator; huius sententiae est Alex. Al. in 3 Bonav. autem addit: Ideo in nomine Iesu Christi debet omne genu curvari, sicut in nomine Filii Dei.
- 1873 Secundum autem haec tria nomina Filii Dei triplex est clarificatio nominis eius. Prima est clarificatio certificationis, secunda diffusionis, tertia expressionis. Clarificatur autem nomen Filii Dei primo quantum ad certificationem; et haec respicit notitiam nominis Filii Dei. Secundo quantum ad diffusionem; et haec respicit notitiam nominis Christi. Tertio quantum ad rationis nominandi expressionem; et hoc respicit notitiam nominis Iesu: haec sententia est Bonavent. ubi supra.
- 1874 Alex. quoque addit etiam ubi supra, quod nomen Iesu idem est quod Salvator. Salvator enim tripliciter dicitur. Primo ex potentia salvandi, secundo ex habitu salvandi, tertio ab actu salvandi.
- 1875 Primo enim Iesus dicitur a potentia salvandi: et secundum hoc convenit ei nomen ab aeterno, et dicitur impositum ab aeterno. Secundo autem dicitur ab habitu salvandi, et sic ex tempore ab Angelo impositum est, Luc. 1, et hoc convenit principio conceptionis. Tertio autem dicitur Iesus ab actu salvandi; et secundum hoc impositum est a Ioseph, Matth. 1, quia ei ab Angelo dictum est: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; quod dictum est ei ratione passionis futurae. Et hoc modo dicitur meruisse per passionem huiusmodi nomen Iesus clarificationem, sicut Phil. 11 cap. Apostolus ait: *Christus factus est pro nobis*

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Propter quod Deus exalavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, etc. ut vocetur Patris. Haec sentit Alex. de Ales.

Sed obstant Iudaei, dicentes: Quid clarificatum est in nobis, et cognitus est Iesus, id est, Salvator mundi, quum nec reperiamus illum Messiam quem tamdiu populus Dei expectavit debere nominari Iesum? Sed secundum Is. ix aliter dicebat multipliciter nominari; unde ait: *Parvulus enim datus est nobis, filius natus est nobis. Et factus est principatus eius super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* Ecce quod inter ista omnia sex nomina minime commemoratur Iesus. Si enim nominatus fuisset iuxta vaticinium Is. tenebatur ei credere, et utique credissemus.

Ad haec respondet Alex. de Ales. exponens illud super Lucam: *Et vocatum est nomen eius Iesus*: ait, secundum Bern. quod illud nomen Iesus in his omnibus reperitur sic expressum, et quodammodo effusum est. Nec omnino aut vocari posset, aut esse Salvator mundi, si horum quidpiam defuisset. Ideo exponit quodlibet, dicens: *Primo quod est admirabilis in voluntatum nostrarum mutatione, seu in nostrae salutis inchoatione: unde Gen. xxxii ad Iacob Angelus ait: Cur quaeris nomen meum quod est mirabile? Secundo enim est consiliarius in poenitentiae electione, et vitae ordinatione; propterea dicitur Eccli. vi cap.: Consiliarius sit tibi unus de mille. Alioquin adducit consiliarios in stultum suum.* Iob xii cap. Tertio est Deus in peccatorum remissione, sine qua non est salus: *Quis enim potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. cap. v. Quarto vocatur fortis in tentationis expugnatione; nam, si hostes praevalerint, non est salus: *Hic est fortis qui, alligata forti, tanquam fortior arma tollit, et universa diripit.* Luc. xi. Quinto dicitur Pater futuri saeculi in immortalitatis collatione qua generamur ad vitam immortalem, sicut per parentes carnales generati sumus ad vitam corruptibilem. Et hoc est quod Matth. vi. Dominus ait: *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi, scilicet, mercedem aeternam.* Sexto nominatur princeps pacis in nostra cum Patre reconciliatione, quia *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* II Cor. v. In his omnibus nominibus natura Salvatoris reperitur, scilicet, Iesus.

Tertio quoque oportuit pati Christum respectu Spiritu sancti; et maxime propter tria. Primo propter charitatis offensionem, secundo propter charitatis diffusionem, tertio propter charitatis repetitionem.

- 1879 Primo, inquam, propter charitatis ostensionem; propterea Bernard. in sermone de passione Domini ait: *Propter nimiam charitatem quam dilexit nos Deus, nec Pater Filio, nec Filium ipse sibi pepercit. Maior charitas est, quam quis ponat animam suam pro amicis.* Illa vero maxima fuit quia etiam pro inimicis animam ponere non desepit: *Quum autem adhuc inimici eius essemus, reconciliati sumus Deo in Sanguine eius, sicut Ioann. 11 cap. scriptum est: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut hic diceat humana tepiditas quantum aeternam Patrem teneamur amare qui pro nostra dilectione tradidit in mortem Filium suum.*
- 1880 Idem quoque Bernard. super Cant. ait: In passione Domini tria specialiter convenit intueri: opus, modum, causam: nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inaeestimabilis. Et iterum in eodem loco inquit: *O duri et indurati et obdurati filii Adam! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris qui pro nobis sarcinulis tam pretiosas merces expendit.*
- 1881 Secundo oportuit pati Christum propter charitatis effusionem. Dilatus quodammodo amor Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in ara ardentissime crucis, per universum mundum merito diffusus est, ut quasi facta sit crux sufflatorium Spiritu sancti ex duobus lignis confectum, quibus ferreis clavis conficta est pellis Innocentissimi agni, ut undique per universum exsufflet incendium divini amoris, nec exsufflare desistat etiam ad profunda inferni, et ad altissima paradisi.
- 1882 Nam, quum in terra fuerit crux Christi defixa, significat manifeste quod virtus amoris eius descendit ad inferos ad inferni portas aereas confringendas. Quum autem in altum elevata fuerit, aperte demonstrat quod virtus eius aperuit ianuam paradisi, sicut in fine art. 11 huius tertiae partis apparebit. Cornua vero ad omnes quatuor mundi plagas extensa designant per crucem Christum per totum universum orbem effuisse amoris ardorem. Quod etiam Ioann. xx cap. mystice designavit, quando post resurrectionem, quum ostendisset discipulis suis manus et latus, insufflavit, et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum; verificans quod Luc. xx cap. praedixerat, dicens: Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat?* In huius quoque mysterium Apocalypsis. viii, scriptum est quod *accepit Angelus thuribulum aureum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram.* Quid per Angelum, nisi Angelus magni consilii Christus? Quid etiam per thuribulum aureum nisi cor convenientius designatur? Altare

quoque quatuor cornibus in se distinctum dominicam crucem quatuor cornua in se habentem manifeste demonstrat; in qua quidem, iuxta Domini praecceptum, Levit. vi: *Semper inardet ignis, quum sit utique fornax ardentis amoris Dei.* De altari igitur Angelus ignem accipit, et thuribulum implet, atque in terram mittit, quum Christus per plenum meritum suae crucis corda fidelium incendio divini amoris inflammat atque accendit.

Tertio quoque oportuit pati Christum propter charitatis repetitionem; hoc est, ut, viso quod tanta charitate dilexerit cor humanum in tantum, quod pro eius amore voluerit in cruce mori, repetat vere et integre ac eodem amari, ne insensata et dura ingratitude deprimat et condemnetur.

Hinc Hugo de sacramentis lib. II ait: Qui creavit te, ille redemit te, ne amorem tuum divideres, partem Creatori, partem tribuens Redemptori. Unde et ipse modus expansionis Christi in cruce non solum ostendit Christum continue preparatum ad omnia diffundenda in electos suos charitate largiunda, verum etiam ad omnia abrangenda ad se virtute mirifica, et ad omnia amplexanda remissione plenaria, necnon et ad omnia transformanda dilectione reciproca. Quod eleganter exprimit Cancellarius Philippus in quadam prosula sua valde notabilis et devota, ubi in persona Christi crucifixi ad ingraturum peccatorem sic ait:

Homo, vide quid pro te patior.
Non est dolor, sicut quo crucior,
Ad te clamo qui pro te morior.
Vide poenas quibus affodior:
Vide clavos quibus affodior:
Cum sit dolor tantus exterior, etc.

Hinc Ioann. I canon. sua, 11 cap. ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.*

Rependenda est ergo ei dilectio dulcis, sicut Bernard. de diligendo Deo hortatur, dicens: Dignus est plane diligi qui nos redemit, praesertim si advertatur quis, quos, et quantum amaverit. Et iterum alibi ait: Super omnia te mihi reddidit amabilem, bone Iesu, calix quem bibisti; opus nostrae redemptionis.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Luc. XI, 14-23.

In illo tempore: Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratus sunt turbae. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.